27

AD

Serenisſimum ac Potentisſimum

POLONIÆ SUECIÆQ; REGEM

&c. &c. &c. &c.

IOANNEM CASIMIRUM

Gedanum ſolenniter & glorioſe intrantem

SENATUS GEDANENSIS

COMPELLATIO

juxta portam Civitatis primariam:

Ad eamq;

RESPONSIO

Illuſtrisſimi Supremi Regni CANCELLARII.

DIE XV. NOVEMB.

ANNO CIↃ IↃC LVI.

TYPIS VIDUÆ GEORGII RHETII,

Imprimebat DAVID-FRIDERICUS RHETIUS.

Compellatio Senatus
Per
Syndicum Civitatis
Vincentium Fabricium.

Serenissime Et Potentissime Rex Et Domine, Domine Et Rex Noster Clementissime,

COnſtat eas gentes, quæ ad extremum Septentrionem remotæ degunt, certo anni tempore, aliquot Menſium perpetua nocte involvi; Sole, utpote ſcaturigine lucis & fonte, ultra Æquatorem, meridiem verſus, longius recedente. Quæ tenebræ, quando, reciprocante exoptati almiq; ſideris curu, dispelluntur, non tam dies & ſol, quam ſalus atq; ipſa vita obſcuris hactenus miſerisq; mortalibus, ſummo & incredibili ipſorum cum gaudio reddi videntur. Sane feliciori ſub ſiderum poſitu illud late patens imperium Sarmaticum ſitum eſt, quod divinum Numen Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ Domino Noſtro Clementisſimo regnandum commiſit, quam ut per naturæ ordinem iſtiusmodi infelicitati posſit eſſe

obnoxium. Sed alias tenebras, aliam omnino noctem in Poloniæ inclytum Regnum, terrasq; annexas superiori anno idem fatalis ille septentrio invexit: sive potius Deus opt: max: infensus sceleribus peccatisq; populi, & justissimam ultionem expetens, horribiles illas tempestates, profundamq; caliginem florentissimis antea provinciis superfudit. Quæ exinde consecutæ sunt calamitates & miseriæ infinitæ, eas hoc tempore recensere, id vero foret interpolare hodiernæ lucis celebritatem, gaudiumq; publicum corrumpere. & erit profecto pietati convenientius Deo nostro laudes gloriamq; tribuere de omnibus, quæcunq; â suprema ipsius justitia, sapientia infinita, & liberrimo de rebus mortalium, pro ipsorum bono, decernendi arbitrio hactenus fuerunt, profecta. Quin immo propemodum iam necesse est luctuosa omnia dissipari, postquam lætiora exoriri tempora animadvertimus, peractis prope, uti speramus, mandatis fatorum, & numine placato: inprimis postquam coram conspicimus Poloniæ Prussiæq; plusquam Septentrionalibus tenebris hactenus immersis, redditum ac restitutum optimum piissimumq;

Prin-

Principem, id est solem nostrum non tantum esse reductum, sed vero post immensos labores exhausstos, superatas difficultates & discussa pericula infinita, Regiæ fortitudinis & magnanimitatis, tum paternæ quoq; pro fidelibus subditis curæ & sollitudinis radios, veramq; lucem longe lateq; diffundere. Ad hunc itaq; desideratissimũ lætissimumq; conspectum, Serenissime Rex, Gedanenses Tui confertim provolant, & ultra, quam dici possit, exultant, omnium præteritarum miseriarum pene obliti: Cujus publicæ lætitiæ Civitatis Senatus, qui hic adstat, interpres est, eo breviori alloquio, quod ad demonstrandam & comprobandam devotissimæ subjectionis suæ fidem & sinceritatem verbis opus non esse, sed se in gratia & clementia Regis & Domini sui benignissimi tuto & secure acquiescere posse confidunt. Porro venerabundi inter Regias manus consignant portarum claves, subjectionis tesseram, non minori animorum fiducia & alacritate, quam qua ista Civitas fortunas omnes vitamq; & sanguinem suorum Regi suo Clementissimo jam pridem devovit: collocantes insuper, post Deum Optimum

Maxi-

Maximum in Sacra Regia Majestate Vestra spem omnem et fiduciam salutis et incolumitatis suæ, et fortunas facultatesq; suas exhaustas planeq; afflictissimas â benignissimo et propitio Sole illo collustrari et refoveri desiderantes. Pro cujus spei, voti, ac desiderij feliciori augurio ad osculum Regiæ manus illius gloriosæ et victricis benigne admitti suplices expetunt.

RESPON-

RESPONSUM NOMINE SACR. REG. MAIEST.

Per

ILLUSTRISSIMUM DOMINUM, DN. STEPHANUM DE PILCA KORYCZINSKI, Supremum Regni Poloniæ CANCELLARIUM &c. &c.

Non potest non gratissimam habere Sacra Regia Majestas Dominus noster Clementissimus Spectabilitatum Vestrarum salutationem, qui singulari merito, benevolentiam & affectum Sacræ Regiæ Majestatis Domini nostri Clementissimi Vobis Urbiq; Vestræ devinxistis. Quippe cum res adversæ virtutem maxime explorent, Vobis certè excellentis virtutis, ob servatam integrè fidem, decus, & palma ista debetur, ut Viri prudentes, Principi Vestro & Reipublicæ fidi, ac salutares, Orbis judicio, perennatura etiam ad posteros fama, audiatis. Adduxerat planè in ultimum discrimen rem Polonam felix perfidia; graßabatur tumidus per Provincias Regni hostis, ac dormienti fortuna velut reti civitates & arces capiebat. Vos tamen spem meliorem semper alentes, neq; blandienti primis initiis felicitate, nec priva-

privatarum rerum detrimentis, aut ingentibus promiſsis, aut ferocibus minis dimoveri officio potuiſtis. Sed eximia virtute, fide, & conſtantia Sacræ Regiæ Maieſtatis Domini Noſtri Clementisſimi totiusq; Reipubl: partes difficillimis temporibus ſuſtinuiſtis. Rectè itaq; æſtimat Sacra Regia Majeſtas Dominus Noſter Clementisſimus, quantum incrementis hoſtium nocuerit, Spectabilitates Veſtras infractas ſtetisſe. Deus prohibuit, virtutemq; Vobis inſtinxit, ut in una urbe Orbis Polonus, à vi, tyrannide, & fraudibus teterrimi hoſtis ſervaretur. Cœterum ſpectante Orbe univerſo collaudat Sacra Regia Majeſtas Dominus Noſter Clementisſimus virtutem Spectabilitatum Veſtrarum, nihilq; antiquius habere ſe pollicetur, quam ut prudentiæ, fidei, & fortitudini Spectabilitatum Veſtrarum gratitudine Regia, & Reipublicæ omni, qua par eſt, ratione reſpondeatur. Et cum in vim debitæ Principi ſuo obſervantiæ, claves Civitatis huius Sacræ Regia Maieſtati Domino Noſtro Clementisſimo reddant, vicisſim in vim maioris confidentiæ easdem Sacra Regia Maieſtas Spectabilitatibus Veſtris reſtituit, perſonam ſuam Regiam, ac Senatus ſui, ſuorumq; cuſtodiæ veſtræ committit, & in maioris teſtimonii ſymbolum ad exoſculandam manum Regiam gratioſè admittit.

Hist. Polon.

6, spec.